



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur  
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

Articulus IV. Quis confirmare possit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)

## ARTICULUS IV.

Quis confirmare possit?

3044. **R**esponso ad hanc quaestionem videtur colligi ex definitione confirmationis in n. 3004. ibi: *per legitimum Superiorem facta*; et ratio est, quia, si non a solo Superiore fieri deberet, ex eo foret, quia etiam fieri posset vel ab inferiore; vel à pari; neutrum autem dici potest; *non primum*; ut colligitur ex c. *Inferior*. 4. distin. 21. ubi Nicolaus Papa scribens ad Michaëlem Imperatorem, ait. *inferior sedes, Superiorem absolvere non potest. Sola ergo potior inferiorem convenienter absolvit. Hinc liquido pervidetur, quia, quem non potest absolvere, non potest, iudicio inferior, potiorē ligare.* Unde Propheta ait (*Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea?* aut exaltabitur terra contra eum, qui trahit eam) His ita ex divina scriptura, & probabilium Patrum doctrina commemoratis, *sole clarius exhibuimus, non posse quemquam, qui minoris auctoritatis est, eum, qui majoris potestatis est, iudiciis suis addicere, aut propriis definitionibus subjugare: & c. cum inferior* 16. de majoritate, & obed. ubi Gregorius IX. Archiepiscopo Colocensi; *cum inferior*, inquit, *Superiorem solvere nequeat vel ligare; sed Superior inferiorem liget regulariter & absolvat, & satis absolum videatur, ut filius potestatem habeat in parentem: miramur, quod, cum tu Monasterium de Cheur. constitutum in Tirmienfi Archidiaconatu tuae diocesis, in Ecclesiam erexeris Cathedralē: Archidiaconus Firmiensis in tantam prorupit temeritatis audaciam, ut in Episcopum ibi consecratum, & Ecclesiam, suam jurisdictionem exercere praesumat. Mandamus, quatenus praefato Archidiacono, à cuius jurisdictione dictum Episcopum denuntiamus exemptum, id districtè studeas inhibere; provisotamen, ut, si ex hoc Archidiaconi firmien: jura laeduntur, indicecessi tua (ubi expedire videris) absquē alieni juris praesudicio, recompensationem illi facias congruentem.*

3045. Sed nec dici potest secundum? quia par in parem non habet jurisdic-  
tionem per c. *innotuit* 20. §. *quamvis* de Elect. ubi Innocentius III. non obstante decreto Alexandri III. in Concil. Lateran. quo voluit *electionem illegitimam*, nullam esse, contrarium admisit, rationem reddidit; *quia Successori, per Antecessorem* in Pontificatu, non adempta fuit dispensandi facultas; cum non fuerit prohibentis intentio, *qui Successoribus suis nullum potuit in hac parte praesudicium generare, pari post eum (imò eadem) potestate futuris; cum non habeat imperium par in parem.* Et ratio est, ut diximus praeced. num: quia confirmatio ex sua natura petit fieri *per Superiorem*; ideo confirmatio Concilii generalis petitur à Summo Pontifice, ut constat, & quidem ex eo fine, quia confirmatio à Superiore petenda est. *L. si quos* 59. C. de Decurionibus, cujus Rubrica, summam nigri, seu textus exhibens expressè habet, *Superiorem teneri confirmare electionem factam, ab inferioribus* intellige, si canonica sit.

Dices: in c. *Studuisti*, de Officio Legati, Legatus confirmat sententiam Judicis delegati, qui in causa sibi commissa major est quocumque Ordinario, c. *sanè*, de offic. deleg. & in c. i. de Treuga, & pace: ubi unus Episcopus confirmat sententiam alterius Episcopi: & in c. i. de locato, constitutionem unius Legati alter confirmat. Resp. in cit. juribus, ut notat Glossa in c. *Studuisti*, V. *confirmare*, & dict. c. i. de treuga, V. *confirmet*, confirmationem accipi latè, ac improprie pro sola approbatione, seu *ratihabitione*; non autem proprie, ac strictè, pro additione roboris majoris, de cujus effectu dicemus à n. seq.; & ita tenent Felinus, & Hostiensis in c. i. de Locato. Nec enim potestas unius ad amplius porrigitur, quam ei concessum sit; unde, si confertur cum altero paris potestatis, sicut iste actui à se gesto, sic alter paris potestatis, non poterit conferre majus robur.

## ARTICULUS V.

De effectu confirmationis.

3046. **A**nte resolutionem not. dupliciter peti posse à Superiore confirmationem eorum, quae ab inferioribus gesta sunt; primo, quando ejus consensus confirmatorius